

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Ernst Cothmann Eberhard Deichmann

**Sequentes Conclusiones, Ex L. III. De Iustit. Et Iure, Et L. I. C. Und. VI, ut &, ex C.
Significasti: X. de homicidio. Decreto & auctoritate, Amplissimi ICtorum Ordinis, in
alma Rosarum Academia,**

Rostochii: Pedanus, 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730911853>

Druck Freier  Zugang



E. Cohnam (E. Deichmann) *Nat.* 16
R. U. am 1623.

15

D. & A. C.

Sequentes Conclusiones,

EX

L. III. DE JUSTIT.
ET JURE, ET L. I. C. UND. VI,
ut &, ex C. Significasti: X. de
homicidio.

*Decreto & auctoritate, Amplissimi & Ctorum
Ordinis, in alma Rosarum Academias,*

DIRECTORE
VIRO MAGNIFICO,

ON. ERNESTO COTHMAN,
ato celeberrimo, dictiq; ordinis DECANO specta-
bili, & SENIOR E emerito, Mecenate, ac præce-
ptore suo, æternum honorando,

RO CONSEQUENDIS IN UTRQ; Ju-
re, honoribus & privilegijs Doctoralibus,

publicæ censuræ ac disquisitioni subiecti,

EBERHARDUS Deichman
Osnabrugensis.

III. Id. Martij, horis matutinis, & pomeridianis,



ROSTOCHII

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXIII.

1623

D. & A. C.

Sequentes Conclusiones,

E X

L. III. DE JUSTIT.
ET JURE, ET L. I. C. UND. VI,
ut &, ex C. Significaſti: X. de
homicidio.

Decreto & auctoritate, Amplissimi jCtorum
Ordinis, in alma Rosarum Academia,

DIRECTORE
VIRO MAGNIFICO,

DN. ERNESTO COTHMAN,
jCto celeberrimo, dictiq; ordinis DECANO specta-
bili, & SENIORE emerito, Mecenate, ac præce-
ptore suo, æternum honorando,

PRO CONSEQUENDIS IN UTROQ; Ju-
re, honoribus & privilegijs Doctoralibus,
publicæ censuræ ac disquisitioni subiicit,

EBERHARDUS Deichman
Osnabrugensis.

III. Id. Martij, horis matutinis, & pomeridianis,

ROSTOCHII

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXII.

15





THE S I S . I.

Nobilis, juxta ac utilis est inculpatae tutelae doctrina, quam veluti in tabula depictam, nobis J C tu s Florentinus exhibit, in famosissima, multumq; in Scholis; ac foro agitata L. III. de Just. & Jur. quâ hoc jure evenire dicitur, ut, quod quisq; ob corporis sui tutelam fecerit, jure fecisse existimetur.

II.

Quamvis autem hæc Lex, non scripta, sed nobiscum nata, adeoq; omnis dubitationis expers sit: tamen cum defensionis terminos, affectuum motus, sibindè transiliant, indeq; litium cotidiè seges locuples enascatur, operaè premium erit, præcepta defensionis certa, ex amplissima hacce materia, in fasciculum quasi congeta, publjcæ censuræ ac disquisitioni subijcere.

III.

Legitima autem defensio, est instantis imminentisvè, vel illatæ violentiæ atq; injuriæ, justa propulsatio.

IV.

Et tam jure Naturali, quām Gentium, Civili, & Canonicō, permissa est: neq; in foro fori, neq; poli, pœnam ultiam meretur.

V.

Hæcq; adeò firma sunt, ut nec Princeps auctoritate ac potestate sua, nec generalis Lex, vetare possit, quo minus vim vitæ, vel pudori illatam, propulsemus.

A 2

Quemad-

VI.

Quemadmodum verò, iura cuilibet hanc defensionem concedunt, sic eandem contra quemlibet, quacunq; dignitate præfulgentem, permittunt.

VII.

Unde consequitur, Defensionem legitimam ac nefariam, contra magistratus, parentes, præceptores, vel dominos, vim & injuriam manifestam facientes, Lege naturæ concedi.

VIII.

Sed an hæc defensio liberis sic permissa sit, ut parentes, vim inferentes, è medio jure tollant, major quæstio est? Quam negativè decidendam esse, affirmamus.

IX.

Sic, si Magistratus ministri, sub prætextu officij, dolo malo, fontibus vel. insontibus vim injustam inferunt, jure illis resistitur, eoq; insuper etiam puniri, justum & æquum esse, statuitur.

X.

Cæterum, contra Magistratus, Jurisdictionem ordinariam exercentes, parentes, præceptores & dominos, castigationem in disciplina, sine nimia sævitia adhibentes, defensio minimè permittitur.

XI.

Maleficorum vim ministri publici, cum moderamine, rectè propulsant: ast sôntes fugientes, nisi vivos vel mortuos capiendi ac ducendi mandatum habeant, impunè neq; vulnerant, neq; occidunt.

XLI.

Defensio hæc, Vel circa propriam vel circa proximi personam considerari potest.

De

XIII.

De propria defensione, prorsus nullum est dubium, in tantum, ut defensionem negligens, & internacionem, cum possit, non avertens, non minus peccet, quam si manus sibi ipsi intulisset: cum ordinatam, à Jehova naturæ insitam charitatem, laedat, & legitima dulcissimæ vitæ conservandæ præsidia, negligat

XIV.

Ac perquam eleganter JCtus Paulus, in receptis sententiis: qui latronem, cœdem sibi inferentem, vel alium quemlibet stuprum inferentem, occiderit, puniri non placuit. Alius enim vitam, aliis pudorem publico facinore defendit.

XV.

Et S. Augustinus, Lex, inquit, justa est, quæ dat potestatem vel viatori, ut latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat, vel cuiquam viro, aut fæminæ, aut violenter sibi stupratorem irruentem, ante illatum stuprum, si possit interimat. Et multo est mitius, eum, qui alienæ vitæ insidiatur, quam eum, qui suam tueri adnititur, occidi: Et multo est immannius, invitum hominem stuprum perpeti, quam eum, à quo vis illa infertur, ab eo, cui inferre conatur, interimi.

XVI.

Hinc quæsitum est: An aliquis ad evitandum stuprum, vel simile quid, seipsum licet occidat? Constat ex Pomponio nostro, Verginium quendam, castitatem filiæ, vitæ quoq; ejus præferendam putasse, ac cultro arrepto de tabernaculationis, filiam interfecisse, in hoc scilicet, ut morte virginis, contumeliam stupri arceret. Quin & Sanctorum Patrum nonnulli, haud obscure docent, mortem arripere licere, si castitas pericletur. Verum pugnant ista cum illustrissimo & serenissimo Dei præcepto: NON OCCIDES. Quo-

A 3

circa:

circa Augustinus pie & præclarè scribit, non eam fortitudinem, sed mollietem vel imbecillitatem esse: cum homicidium sui ipsius, nunquam sit in laude.

XVII.

Cæterum de defensione proximi, difficilior est quæstio. Etsi enim singuli proximum à vi & injuria rectè defendunt, tamen an id jure sic faciant, ut invasorem interimant, non omnium eadem opinio est, cum quidam id legitimè fieri negent, alij verò contrariam sententiam propugnant, &, verbi gratia, patrem filij, & maritum conjugis aggressorem vel stupratorem, legibus permittentibus, licitè occidere, doceant. Et horum sententiam veriorem & rectiorem esse arbitramur.

XVIII.

Videamus de rebus, quas à nobis defendi posse, juris est notissimi: attamen ob solam illarum defensionem, sanguinem humanum profundere, illicitum & damnabile est.

XIX.

Quocirca furem, cum rebus furto ablatis, aufugientem, insequi, eiq; rem nostram eripere possimus: sed ob earum rerum jacturam vitandam, telo, vel bombardæ ictu eum traijcere, non licet.

XX.

Lex tamen XII. tabularum, furem noctu deprehensum, occidere permittit, si id fiat cum clamore: interdiu autem deprehensum, ita permittit occidere, si is se telo defendat, ut tamen æque cum clamore testificetur.

XXI.

Ab hac lege post, sic discessum est, ut tam nocturnum, quam diurnum furem, ita demum impune occidere nobis liceat, si parcere ei sine periculo nostro non potuimus.

XXII.

Famam quoq; existimationem, honorem, & dignitatem

tatem nostram, salvam tueri, defendere, ac verbis propulsare convenit.

X X III.

Verum id quoq; cum ratione, sive moderamine inculpatæ tutelæ fieri, necesse est, ut nimirum illa defensio, quæ nos impetitos convitijs, & falso objectis criminibus, tuemur, non ad vindictam, sed famæ nostræ defensionem, tendat.

X X IV.

Proindè, si contumeliosa verba in aliquem dicantur, potestis pro existimationis suæ, velut possessione tuenda, conviantem mendacij arguere, neq; eo nomine injurium tenetur.

X X V.

Ast injuria afficiens, injuria affectum vicissim de mendacio coarguere nequit: cum retorsionis nulla sit retorsio, & ubicunq; defensio est licita, offensio semper sit illicita.

X X VI.

Interficere autem quenquam propter injuriam illatam, iuria non permittunt, sed iniuritatem injuriantis per legitimos trahentes expellere, ac quamcunq; injuriam, remedio ordinario vindicare, concedunt.

X X VII.

Et quidem adversus eum, qui injuriam intulit, vel interfici curavit, mandavitq; intra tempus jure definitum, semper & in solidum, sed contra heredes non, nisi judicium per litis contestationem à defuncto constitutum sit, judicio experiri possumus.

X X VIII.

Qui justis motus causis, non animo diffamandi, sed vera crimina pandendo, vel furem, vel meretricem appellat, injuriarum non tenetur.

Ea

XXIX.

Ea quoq;, quæ ex iracundiæ calore profiscuntur, in-
juriarum actione non semper cohercentur.

XXX.

Forma defensionis in ratione recta, sive moderamine
inculpatae tutelæ consistit: quod ex offensionis justæ propul-
satione, æstimandum, & judicis æqui arbitrio committen-
dum, & ex circumstantijs causæ, temporis & modi definien-
dum esse, sentimus.

XXXI

Causa vertitur, vel in offensionis, vel in defensionis ra-
tione, ac consideratione, itemq; in rixæ, & tumultus exor-
dio & austore. Nam qui primus vel percutit, vel rixam in-
cipit, is non defendit, sed offendit: & qui percussus repercu-
tit, vel rixam moventem lœdit, is non offendit, sed defendit.

XXXII.

In temporis circumstantia id potissimum consideran-
dum, ut vim vi propulsemus ex continenti, non ex inter-
vallo. Illa enim tantum defensio & tuitio est, hæc ultio.

XXXIII.

Modus consistit, in necessitate defendendi præsente, &
extremo vitæ vel honoris periculo, & ut morte, non nisi
imminentem mortem amoveamus.

XXXIV.

Quæritur, an ad modum, armorum paritas sit referen-
da? nos arithmeticam eorum parilitatem rejicimus: vim
namq; & injuriam propulsare, armis venientem, armis depel-
lere, insidiantem vel ferro potentem, occidere, aggressorem,
percussorem, vel gladio latrocinantem, quo cunq; modo, &
quibuscunq; armis repellere ac perimere, impunè licet.

XXXV.

Et quamvis hæc non de vi qualibet, sed de jam immi-
nente

nente vel illata, uti supra dictum, accipienda sint: tamen primum iustum expectandum esse, negamus: in casu vero, quando ex minis, vel armorum territione, praesens adest periculum, ad minas illas defensionem parare, & mortem militantem occidere licere, neque ob id occisorem poena homicidij puniri, legum autoritate suffulti, adstruimus.

XXXVI.

Cedentem pugnis, armis repellere, nisi decrepitus vel imbecillus, a robusto quodam ac valido contundatur, jura non permittunt.

XXXVII.

Ceterum, moderamen predictum excedens, atque offendentem, interimens, non poena L. Cornel. ordinari, sed mitiori, non pro delicto, sed pro excessu, punitur.

XXXVIII.

Invasus ab aliquo, ad vim evitandam, in fugam se dare non tenetur.

XXXIX.

Quid si aggressor post vim illatam fugax se committat, num defensori, fugientem persequi & occidere licet? Quod negamus.

XL.

Non inopportunè etiam hic queritur: An Evocatio ad pugnaciam, vel gladio, vel verbis injuriiosis ac minacibus facta, pro tali offensione habenda sit, cui provocatus violentiam propulsionem opponere, & cum provocante in arenam descendere impunè possit? Quod itidem modis omnibus negamus.

XLI.

Nam duella omni jure sunt prohibita, & diaboli fraude ac suggestione inventa, & plerumque animam & corpus, vel utriusque; vel alterius interimunt. Atqui, inquiunt quidam,

B

quod

quod elegerint **NOBILITER** mori. Respondet S. Augustinus: melius vellent, **HUMILITER**: Sic enim, **UTILITER**.

XLII.

Interim necessariam defensionem, quam nostro idiomate **Nothwehr** appellamus, minimè tollimus. Proinde si inter duos lis sit exorta, & alter alteri obviam factus, gladio evaginato alterum aggrediatur, utiq; iste arma vicissim arripere, ac præsentem vim amoliri potest, secundum ea, quæ supra proposuimus.

XLIII.

Tractemus pauca de usu & processu. In judicio hoc Accusatorum personam gerunt, vel interempti vidua, vel heredes, vel etiam Fiscus: quin & cuivis ex populo homicidium vindicare, jure permitti non dubitamus. Accusati sive Rei locum tenet Homicida.

XLIV.

Primum autem, actori seu accusatori incumbit, accusationem libello comprehensam, exhibeat: dehinc Reus item negativè contestetur, exceptiones suas proponat, seq; non dolosè, sed defensivè arma tractasse, ostendat.

XLV.

His ita legitimè propositis, responsionibusq; hinc inde visis, Actori onus probandi intentionem, incumbit.

XLVI.

In numero harum probationum, haud postrema confessio Rei conspicitur. Quæ vel simplex, vel qualificata est. Illa omnium probationum, modo de facto constet, reputatur firmissima: hæc, nisi probationibus Legitimis fulciatur, neq; exceptionibus elidatur, Reum homicidam arguit, pœnamq; ordinariam ipsi irrogat.

hosp.

Præ-

XLVII.

Prætendens defensionem, si eam per testes, alias infamibiles & non satis idoneos, probaverit, à poena regulariter immunis erit.

XLVIII.

Præsumptiones quoq; nec non conjecturæ, multum juvant Reum, & maximè ex ea, quæ ex occisi attestatione, se scilicet solum, jacturæ vita sua causam dedisse, vel quibus similibus causis, profluunt, & quandoq; Reum à Quæstionibus tutum reddunt.

XLIX.

Qui initio homicidium à se perpetratum negat, si postea defensionem allegare, eamq; probare velit, utiq; audiendus est, usq; adeò, ut non tantum post conclusionem, sed etiam post publicatam sententiam, defensionem allegare possit.

L.

Si verò occisus inрагone mortis constitutus, fateatur, se injustè vulneratum esse, hocq; Eucharistia, sive juramento confirmet, num ob id solum, Reus ab heredibus occisi ad poenam vocari possit, quæstionis est? Negamus.

LI.

Causa ventilata, Jūdex sententiam concipere, ac Reum vel condemnare, vel absolvere debet. Horum posterius in dubio justius, & ad misericordiæ rationem DEo reddendam, melius esse, non dubitamus.

ΠΑ-

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

Principes jus venandi in nemoribus , alijsq; publicis locis , sibi solis hodiè vindicant , nec in eo à subditis turbandi sunt.

II.

Cautio usfructuaria , à testatore in testamento remitti nequit.

III.

Feudo alicui , inscio Domino , extra familiam legato , estimatio ejus non debetur.

IV.

Per subsequens matrimonium legitimatos , in feudis succedere , usus Judiciorum probat.

V.

Feudum irrequisito Domini consensu alienatum , domino aperitur.

VI.

Præstat hostem foris adoriri ; quam domi expetare.



-ΑΠ-

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

*Principes jus venandi in nemoribus,
publicis locis, sibi solis hodiè vindicant, ne
subditis turbandi sunt.*

II.

*Cautio usfructuaria, à testatore in testi
remitti nequit.*

III.

*Feudo alicui, in scio Domino, extra fami
gato, estimatio ejus non debetur.*

IV.

*Per subsequens matrimonium legitima
feudis succedere, usus Judiciorum probat.*

V.


*Feudum irrequiso Domini consensu
tum, domino aperitur.*


VI.

*Praestat hostem foris adoriri, quam don
clare.*



-ΑΠ-





the scale towards document

upra dictum, accipienda sint: tamen pri-
tandum esse, negamus: in casu vero,
I armorum territione, praesens adest pe-
las defensionem parare, & mortem mi-
cere, neq; ob id occisorem poena homi-
uthoritate suffulti, adstruimus.

XXXVI.
nisi, armis repellere, nisi decrepitus vel
quodam ac valido contundatur, jura non

XXXVII.

eramen praedictum excedens, atq; of-
fens, non poena L. Cornel. ordinariâ, sed
cto, sed pro excessu, punitur.

XXXIX.
o, ad vim evitandam, in fugam se dare

XXXIX.
r post vim illatam fugæ se committat,
ntem persequi & occidere licet? Quod

XL.

etiam hic queritur: An Evocatio ad
o, vel verbis injuriolis ac minacibus fa-
ie habenda sit, cui provocatus violen-
opponere, & cum provocante in are-
anè possit? Quod itidem modis omni-

XLI.

i jure sunt prohibita, & diaboli fraude
a, & plerumq; animam & corpus, vel
aterimunt. Atqui, inquiunt quidam,
B quod